DISSERTATIONEM

DE

QUATUOR FOLIIS

ANTIQUISSIMI ALICUJUS DIGESTORUM CODICIS
RESCRIPTIS NEAPOLI NUPER REPERTIS
NUNC PRIMUM EDITIS

ET THESES ADJECTAS

AUCTORITATE ILLUSTRISSIMI

JURECONSULTORUM

ORDINIS

PRO LOCO PROFESSORIS JURIS EXTRAORDINARII
IN UNIVERSITATE VRATISLAVIENSI
RITE OBTINENDO

DIE XI AUGUST. MDCCCXXIII

HORA X

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ERN. THEOD. GAUPP
U. J. D. ET P. P. E. D.

RESPONDENTE ERN. HEINZE LUSATO.

VRATISLAVIAE,
TYPIS UNIVERSITATIS.

PRAEFATIO.

Cum nuper iter litterarium per partes Italiae suscepissem, *Viri Excellentissimi ac summe Venerandi, Ministri Publici de* ALTENSTEIN, qui litterarum artiumque ingenuarum in Regno Borussico colendarum *Ipsi* a *Principe Augustissimo* demandatam curam cum ingenti earum commodo atque incremento agit, ope ac munificentia liberalissima adjutus, Romae mihi contigit, ut cum *Viro Clarissimo*, *Doctore Perz*, cujus jam longe patet fama apud omnes, qui studiis de Germaniae historia et antiquitate susceptis favent debitumque exhibent honorem, quippe qui in celeberrimis Austriae et Italiae bibliothecis innumeros codices, in quibus de vetusto rerum statu in patria nostra agitur, summa cum laude nec non utilitate publica perscrutatus sit, amicitiam contraherem sincerissimam. Is, paullo ante ex itinere Siciliensi et Neapolitano Romam reversus, de codice quodam, in bibliotheca regia Neapolitana conservato, varia mecum communicavit, cujus membranas certiorem me fecit, nunc quidem Charisium Grammaticum et partem aliquam ex Anastasii Vitis Pontificum, sane quod ad tempus attinet, quo scripta est, omnibus Anastasii opus complectentibus membranis, quae adhuc innotuerunt, antiquiorem exhi-

bere, a principio vero usque ad finem codicis rescriptas esse et fragmenta quaedam argumenti juridici ex vetustate remotissima in se continere videri. Etenim *Doctor Perz*, dum praecipue quidem Anastasium spectabat, tamen in duobus foliis nomina ICtorum Ulpiani et Gaji sub textu Charisii cognoverat, ipsi vero, aliis studiis occupatissimo et per breve tantum temporis spatium Neapoli versanti, in scripturam istam antiquam, quae litteris recentioribus ibi tecta esse videbatur, accuratius investigare, haud licuerat. Cum igitur dubitaretur, utrum Digestorum an forsitan alius hactenus ignoti alicujus operis, de jure et legibus tractantis, hic absconditae essent partes, summum me cepit desiderium, codicem Neapolitanum penitius cognoscendi, et in quantum fieri posset, res ibi occultas enucleandi. Nec mihi defuit hortatio benignissima *Viri omni laude superioris*, *Niebuhr*, qui tunc temporis *Augustissimi Regis Nostri* ad *Summum Pontificem* oratoris locum honorificentissime tenebat; quid? cum *Vir Celeberrimus* eam esse bibliothecae regiae Neapolitanae legibus institutam rationem, cognitum haberet, ut si quis nonnisi per unum diem codice aliquo uti velit, venia Summi Collegi, quod bibliothecae et museo regio praepositum est, opus sit, unum et alterum hac de re nuntium, priusquam ipse ad iter Neapolitanum paratus essem, Neapolim misit, et a *Viro honoratissimo*, *Barone de Schulz*, cui negotiorum Borussicorum in aula Neapolitana administratio ab *Augustissimo Rege Nostro* tradita est, summopere petiit, ut in iis, quae optanda mihi forent, auxilio esset et maxime ut quam liberrimus bibliothecae usus mihi concederetur, operam daret. Nec me fefellit spes. Primum quidem advecto mihi versus finem mensis Februarii hujus anni per octo dies studiis in bibliotheca vacare nondum licuit, siquidem haud satis erat, ut sola codicum bibliothecae evolvendorum facultas mihi concederetur, sed statim intellexeram, eam esse membranarum Charisii conditionem, ut in iis enucleandis, nisi chemicis remediis adhibitis, in multis locis frustra operam consumturus essem. Igitur haec etiam a Summo Collegio, quod bibliothecae curam habet, venia petenda

erat, ut gallae infuso uti liceret. Qua denique auxilio et praesidio *Viri honoratissimi, Baronis de Schulz* impetrata, opus a me coeptum est, et paullo post re vera *quatuor folia ex aliquo Digestorum codice vetustissimo* reperi. Jamjam in patriam reversus, nolo committere, ut haec fragmenta diutius a publica luce cohibeantur. Paucissima quidem sunt, in quae ita incidere mihi contigit, neque hoc sane placuit; de quibus vero, priusquam pluribus agam, primum de ipso codice, qui hodie in bibliotheca Neapolitana conservatur, copiosius me disserere oportebit. —

Codex est membraneus et simpliciter Codex Charisii appellatur. Si ejus formam spectaveris, dubitare possis, maxima an potius quaternaria major dicenda sit, medium enim inter utramque tenere videtur. Octo folia ultima fragmenta ista jam dicta ex Anastasii Vitis Pontificum complectuntur, ceterae vero membranae omnes ad Charisium Grammaticum pertinent. Fere dubitari nequit, utrumque, et Charisium, et Anastasium, quatenus in codice continetur, uno eodemque tempore scriptum esse; eadem enim in utroque est litterarum forma, eadem paginarum magnitudo, idem porro scripturae genus, unde ne hoc quidem temere conclusum esse videtur, unam eandemque manum utrumque exaravisse.

Quod vero ad tempus attinet, quo hanc formam adepti sunt, ex meo quidem judicio hoc idem versus finem saeculi noni factum est, qua de re, cum propositum meum non proxime tangat, plura addere nolui, infra autem specimen ipsius scripturae, quo haec mea sententia confirmaretur, exhibere non omisi. Si quaeratur, quomodo haec scriptura significanda sit, mihi quidem nomen *erectae minutae* tribuendum ei esse videtur, qualem in multis monumentis saeculi octavi et noni nobis conservatam esse, jam satis inter omnes constat. 1)

---

1) Schoenemann, Versuch eines vollständigen Systemes der allgemeinen besonders älteren Diplomatik. Band I, §. 131. 136. Nr. 4.

Sunt igitur, ut supra monui, rescriptae membranae. Diu summa opera enixus sum, ut, quid in tanta foliorum copia absconditum esset, deprehenderem, attamen in maxima membranarum parte vanus fuit labor. Jam ante quatuor illorum foliorum, in quibus fragmenta quaedam ex aliquo Digestorum codice antiquissimo continentur, brevem feci mentionem, et de his quidem paullo post pluribus agere propositum mihi est, praeterea vero hoc solum cognovi, tria folia, quae istas Pandectarum membranas praecedunt, olim codicis alicujus, qui Lucani Pharsaliam exhibebat, partem effecisse; in ceteris vero membranis ad veterem scripturam revocandam vel chemica auxilia frustra adhibui. Id ex ipsa membranarum indole et natura explicari posse puto. Quae enim antiquum illum codicem ignotum efficiebant, in quibus nunc quidem longe maxima pars Charisii et Anastasii fragmenta continentur, eae compactissimae erant, ideoque litterae antiquae, quas exhibebant, ablui, imo cultro eradi poterant, eo modo ut paucissima earum vestigia relinquerentur, membranae vero postea quoque ad rescribendum idoneae essent. Contra membranae eorum codicum, quorum alter Pandectas, alter Lucani Pharsaliam complectebatur, tenuissimae erant. Quae cum ad rescribendum praepararentur, librarius aliquis, qui novum codicem, in quem Charisius Grammaticus transscriberetur, componere voluit, primum quidem in altera cujusque folii pagina litteras cultro erasisse videtur, unde et in Digestorum et in Lucani fragmentis in una cujusque folii pagina vel chemicis saepe frustra utaris auxiliis, in altera vero pagina hoc satis esse debuit librario, ut litteras antiquas ablueret; quinimo ne ablui quidem penitus poterant, quoniam eradendo jam tenuissimae factae erant membranae, et haec quidem causa esse videtur, cur in altera cujusque folii pagina saepius vel sine chemicis auxiliis veterem scripturam facillime cognoscas. Sed quaerat aliquis, quare librarius codicem Charisii ex variis voluminum antiquorum partibus tali modo composuerit, cum satis fuisse videatur earum membranarum, quae in codice illo ignoto, cujus veterem scripturam enucleare haud potui, continebantur. Mirum sane videtur, neque

certa quaedam hac de re proferre equidem ausus sim. Sed probabile est, hoc ideo tantum a librario factum esse, quod primum quidem volumen illud antiquum minus ipsi videretur, quam quod Charisium integrum complecti posset. Hoc errore ductus et novarum membranarum copia destitutus, ex disjectis plurium veterum codicum foliis novum librum composuit, membranasque tenuissimas inter ceteras compactiores collocavit. Postea vero, cum Charisius in hoc volumen jam transscriptus, et aliqua membranarum pars superesset, in iis fragmenta nonnulla ex Anastasii Vitis Pontificum scripta sunt, quae plura fuisse olim quam nunc, facile inductus sum ut crederem, quod mihi quidem in fine totius codicis post Anastasii fragmenta aliquot folia avulsa esse videbantur. 2) Atque de volumine illo antiquo, ad cujus veteres litteras revocandas vel chemica auxilia frustra me adhibuisse, jam supra monui, addere liceat, scripturam ejus pristinam litteris uncialibus constitisse, meque subinde quasi specimen quoddam, cujusmodi in libris grammaticis reperiuntur, deprehendere mihi visum esse, specimen inquam, in quo idem vocabulum, ex. gr. domus,

---

2) Quaenam sint ista Anastasii fragmenta, hoc non ad rem nostram spectat, de iisque non dubium est, quin copiosius locuturus sit *Dr. Perz* in tomo Vto commentarii periodici, quem Museum Francofurtense dicunt, ubi *Virum Clarissimum* hujusque rei peritissimum de aetate quoque, qua Charisius et Anastasii fragmenta scripta esse videantur, plura allaturum esse, ab ipso certior factus sum. — Sufficiat quoque, fragmentorum Lucani brevem tantum fecisse mentionem, quum accuratius quominus rem eam investigarem, tempus mihi defuerit; quae vero sint, hoc etiam in Vto tomo Musei Francof. videas. Litterae sunt unciales, quibus Lucani Pharsalia scripta est, codex autem antiquus, qui poema illud complectebatur, ita compositus erat, ut quae nunc ima vel summa cujusque paginae pars est, olim vel sinistra vel dextra ejusdem paginae pars fuerit, ita ut singuli versus scripturae recentioris singulos versus scripturae antiquae non tegant, sed quilibet versus scripturae antiquae a quolibet versu scripturae recentioris scindatur. — Denique, quod ad Charisium Grammaticum attinet, haud dubium est, quin codex ille, qui hodie in bibliotheca regia Neapolitana conservatur, idem sit, ex quo Jo. Pierius Cyminius primam hujus Grammatici editionem curavit.

saepius repetitum esse videbatur. Igitur hic quoque veterem aliquem Grammaticum absconditum esse existimavi, sed ne semel quidem versum integrum cognoscere mihi licuit, unde plura, quae de isto codice antiquo in medium proferam, non habeo.

Jam igitur ad Digestorum fragmenta redeundum est. Primum vero opus esse videtur, ut omnia, quae ad externam eorum formam spectant, accuratius describantur, qua in re tractanda videbimus quoque, cui aetati ipsa assignanda sint; deinde de editionis hujus proposito et ratione paucis agendum erit; denique de textus indole et natura disserere nos oportebit, simulque inquirere, quid ad Pandectarum historiam omnino inde efficiatur.

Ut de loco incipiam, quem quatuor illa Digestorum folia in membranarum Codicis Charisii serie tenent, notandum est, ea non separata, sed unum post alterum in fine Charisii, ante Anastasii fragmenta inveniri. Ratione vero habita ejus modi, quo codex iste compositus est, nemo sane erit, qui miretur, genuinam foliorum seriem turbatam esse, ita ut ex primo secundum, ex secundo primum, ex eo, quod in serie omnium foliorum ultimum locum et quidem longe post cetera tenebat, tertium, denique quartum ex eo factum sit, quod in serie omnium foliorum inter secundum et ultimum positum erat.

Quae in iis continentur leges, omnes ad decimum librum, nimirum ad tres titulos: *Familiae Herciscundae*, *Communi Dividundo*, et *Ad Exhibendum* pertinent. Equidem genuinum foliorum ordinem in hac eorum editione restituere malui, si vero eam seriem spectes, in qua nunc in Charisii Codice apparent,

Primum est folium, quod continet l. 8. inde a verbis principii: „. . . tae fuerint rationes“ usque ad verba legis 16. pr.: „a communione usus fructus dis“

Familiae Herciscundae

Secundum est Folium, quod continet l. 3. inde a verbis finalibus: „. . . ra actionis officia judicis translata sunt" usque ad verba legis 8. pr.: „ut quoties desidera"

Familiae Herciscundae

Tertium est Folium, quod incipit a verbis legis 12. §. 6. „quaerere, an heredi et in heredem" et tendit usque ad verba l. 19 „sua interesse, illos aut illos"

Ad Exhibendum

Cum vero paucissima sint fragmenta hic nobis relicta, magnopere dolendum est, hoc folium mutilatum ideoque fere dimidiam partem unius cujusque lineae amissam esse.

Quartum denique folium initium habet a verbis l. 23. „Quae enim locatio est", extrema vero esse videntur verba l. 29: „ea actione pupillum teneri dicimus."

Communi Dividundo

sed rem in dubio relinquere coacti sumus, quod omnes fere versus legis 29 cultro penitus erasi sunt.

Dubitari potest, an non integer fuerit Digestorum codex, cujus partem fragmenta nostra olim efficiebant. Nemo sane erit, qui neget, jam inde a quo tempore magnum Pandectarum corpus volumen in unum compositum erat, fieri potuisse, ut exigua tantum librorum illorum pars ex aliis in alias membranas transscriberetur; sed, ut hoc concedatur, nihilominus tamen nihil impedit, quo minus illum Digestorum codicem antiquum, ex quo folia nostra sumta sunt, integrum fuisse existimemus. Cum fragmenta nostra ad decimum Digestorum librum pertineant, hoc quidem certum esse videtur, veterem illum codicem saltem novem priores quoque Digest. libros continuisse. Tunc vero mihi liceat, reliquas etiam Digest. partes mente addere, et de integro Pandectarum codice, tamquam ipsum ante oculos haberemus, in sequentibus verba

facere; etenim ita solum, si quatuor folia nostra non per se tantum, sed ut partes integri alicujus Digest. voluminis consideremus, ipsa in historia fontium juris Romani momenti alicujus videntur esse aestimanda. Cum vero codicis Florentini, in quo paginae sunt divisae et majores, duo sint tomi, hoc quidem per se patet, codicem Neapolitanum in primitiva ipsius forma in plures tomos partitum fuisse, [illegible]

Sed jam redeo ad describenda ea, quae ad externam fragmentorum Neapol. formam et conditionem spectant.

Singulae igitur foliorum paginae non divisae, sed integri versus inde a sinistra usque ad dextram cujusque paginae partem scripti sunt. Constant vero eaedem versibus sive lineis, circino, ut videtur, ordinatis tricenis binis praeter paginam secundam ejus folii, quod leges tituli: „Ad Exhibendum" continet, in qua nonnisi triginta et una apparent lineae. Litterarum unius versus non ita constans est numerus; sunt lineae, quae triginta octo, sunt, quae paucas ultra viginti litteras complectantur, saepius enim membranae nodosiores ideoque librarius coactus erat, media in pagina vel nodos ipsos exsecare, vel certe lacunas in iisdem locis relinquere; medius tamen numerus est litterarum triginta quinque. Jam quod ad earum formam attinet, monendum est, unciales eas esse, nec dissimiles iis, quae in Pandectis Florentinis conspiciuntur. Sed majori elegantia et venustate excellunt, ita ut saepius pictae quam scriptae esse videantur, et summam ejus, qui codicem istum antiquum composuit, diligentiam exhibeant. Equidem curavi, ut hujus quoque scripturae specimen ante omnium oculos esset, et si forte exquisita illa litterarum pulchritudo minus in hoc specimine conspicua sit, omnes memores esse velim, in iisdem membranis alias quoque litteras, scil. Charisii, nunc contineri, unde fit, ut saepius altera linea alteram tegat, quinimo nonnunquam duae lineae scripturae recentioris unam lineam scripturae antiquae tegant, ideoque difficillimum sit, imaginem litterarum antiquarum, quamvis earum venustas oculis clare conspiciatur, ad fidem formae primitivae chartae imprimere. — Quod Augustinus ait de libris Pandectarum

Florentinorum [3]), eosdem ita scriptos esse, ut non orationibus solum, sed ne verbis quidem ipsis distincti sint, vel quod Taurellus de iisdem [4]), absque ulla clausularum vel vocum distinctione, idem de nostris quoque fragmentis dicendum est. Omnia, ex antiquissimorum librariorum more, uno tenore perscripta sunt, aliquando vero, maxime si litterae finales vocabuli alicujus omissae sint, unum punctum positum invenitur; praeter hoc librarius nullo omnino interpungendi genere usus est. Unaquaeque lex initium novae lineae facit, etsi in linea antecedenti, lege priori finita, spatium aliquod relictum sit. Inscriptiones quas dicunt, accuratissime indicatae, nomina ICtorum vero litteris initialibus, reliquis omnibus majoribus, notata sunt. Quae quidem litterae initiales alias non apparent, ita ut in codicem Neapolitanum non cadat, quod *Vir Celeberrimus Goeschen* de codice Veronensi, qui Gajum continet, nuper admonuit, in eo primam quamque cujusque paginae litteram, licet in medio aliquo verbo collocatam, nec non unius cujusque articuli initialem litteram reliquis esse majorem [5]). — Quod ad grammaticam rationem attinet, ex ipsis fragmentis apparebit, librarium in quibusdam vocabulis inconstantem fuisse; promiscue enim scripta sunt apu*d* et apu*t*, condi*c*io et condi*t*io; praeterea monendum est, litteram *h* in verbo „herciscere" nunquam a librario omissam similiterque in lege 24. Comm. Divid. *h*is pro is scriptum esse.

Siglarum nulla omnino in foliis nostris vestigia exstant, si quidem siglas singulas litteras appellamus, quae vocabulorum vel syllabarum integrarum vice in multis codicibus antiquis a librariis positae sunt [6]); (unde tamen concludi non posse, in codice Neapolitano siglas omnino defuisse, nemo non videt) sed scribendi compendia nonnulla reperias, ut enī pro enim, lib. pro liber, itaq.

---

3) Anton. Augustin. I. Emend. c. 9.

4) Franc. Taurellus ad lectorem §. 4.

5) Cf. Praefatio ad Gajum p. XXVI.

6) Cf. Schoenemann loco jam supra laudato, tom. I. §. 162.

pro itaque, tribunalib. pro tribunalibus, quorū pro quorum, quinq. pro quinque; contra vero non tam ad compendiorum usum quam ad orthographicam rationem pertinere videtur, in lege 25. Comm. Divid. milia pro millia scriptum esse.

Jam vero quaeritur, cui aetati codex iste Neapolitanus assignandus sit, siquidem omnibus ceteris deficientibus argumentis, nonnisi ex iis, quae de externa ejus conditione jam allata sunt et postea afferentur, certi aliquid colligi potest. Quam in rem cum inciderit oratio, commodum videtur, ut de codice Florentino ejusque aetate pauca adjiciam. Satis inter omnes constat, ex temporibus, quae scholam Glossatorum praecedunt, hunc unum Digestorum codicem integrum usque ad nostram aetatem pervenisse. Sed multa a multis de tempore, quo antiquum illud volumen compositum esse videatur, scripta sunt, nec defuerunt, qui in Pand. Florent. authenticum exemplar, (archetypon vel prototypon) quo Justinianus ipse usus fuerit, nobis relictum esse censuerint [7]). His vero missis, quoniam tamen alius aliam sententiam sequitur, omnesque in tanta vetustatis caligine rem in dubio relinquere coacti sunt, nos quidem eorum sententiae assentimur, qui Pandectarum illud antiquissimum exemplar non ita diu post Justinianum scriptum esse arbitrantur. Cum enim Justinianus voluisset, ut nomina Prudentium et titulorum librorumque numeri non per siglas, sed per consequentiam [8]) litterarum, ut ipse ait, scriberentur, nihilominus tamen in Pand. Florent. videmus, librarium in maxima quidem operis parte isti constitutioni satisfecisse, saepius vero contra Justiniani legem peccavisse et numeros librorum non per litterarum consequentiam, sed per notas indicavisse. Unde haud sine ratione a multis conclusum fuit [9]), scriptum esse illud exemplar, cum nec Justinianus Imperator amplius superstes

---

7) Cf. Brencmann Historia Pandectarum Lib. I. Cap. II. De aetate Codicis Florentini.

8) Cf. L. 2. §. 22. C. de veteri jure enucl.

9) Cf. Brencmann loco laudato Lib. II. Ca p. III. Notae et Sigla in Exemplari Florentino.

esset, nec tantum temporis ab ejus morte praeteriisset, quin constitutionis de ratione describendorum Pandectarum qualiscumque adhuc sive ex priore metu, sive ex tralatitia consuetudine superesset observantia. Et si jam tempus ipsum accuratius definiendum sit, Pandect. Florent. vel saeculo sexto, ad finem vergenti [10]), vel ex sententia *Viri Celeberrimi Hugo* [11]) saeculo septimo et quidem ineunti haud immerito assignari videntur.

Quod vero ad aetatem codicis Neapolitani attinet, equidem jam ab initio haud dubitavi, quin paullo recentior codice Florentino ideoque medio circiter saeculo septimo adjudicandus sit. Sed cum sententiae meae non satis fiderem, consiliis *Virorum Clarissimorum*, *Doctoris Perz et Professoris Bluhme* (qui item hieme proxima mecum in Italia versabatur) hoc in loco usus sum. Atque ii mihi assensi sunt, inprimis litterarum forma, deinde numeris illis moti, qui in codice Neapolitano reperiuntur, de quibus copiosius me loqui nunc oportet. Hujus rei autem melius illustrandae causa, in animo mihi est, accurate indicare, quaenam hic inter codicem Florentinum et codicem Neapolitanum sit differentia.

In Pandectis Florentinis libri singuli, unus ab altero non separari solent, nisi verbis: „Explicit liber," ex. gr. „decimus," „Incipit liber undecimus," eademque distinctionis ratio per totum codicem observata est, ita ut numerus unius cujusque libri his tantum, primum in exordio, deinde in fine indicatus sit. Sed jam supra dictum est, librarium saepius contra Justiniani legem peccasse et numeros librorum non per litterarum consequentiam, sed per notas significavisse. Jam cum neque finis neque exordium libri alicujus in quatuor foliis nostris exstet, haud constat quidem, quali modo alter ab altero libro in ipso verborum contextu codicis Neapolitani discretus fuerit. Sed formulae laudatae „Explicit liber" „Incipit liber," in omnibus illorum temporum mem-

10) Cf. Brencmann l. l. Lib. I. Cap. II. in fine.

11) Cf. Hugo Lehrbuch eines civilistischen Cursus, Band 6. §. 64.

branis tam usitatae sunt, ut haud temere eandem in codice Neapolitano fuisse librorum distinctionem, existimare videamur. Huc vero aliud in codice Neapolitano accedit, quod in Pand. Florent. omnino deest, notas illas numerales dico, quibus in margine superiori primae cujusque folii paginae numerus libri, cujus partem hoc folium efficiebat, indicatus erat, ad quasque vocabulum illud circumcisum: „LIB.“ pertinebat, quod in margine superiori secundae antecedentis folii paginae scriptum erat. Equidem in fragmentis nostris numerum „X“ nonnisi bis et vocabulum „LIB.“ semel tantum cognoscere potui, quoniam in ceteris quidem membranis cultro, ut videtur, erasa sunt, attamen rei natura docet, in iis quoque haec indicia facta fuisse, ita ut quicumque codicem istum antiquum aperiret, in quo Digestorum libro versaretur, statim cognitum haberet.

Jam ad singulas leges transeamus. Constat, easdem in Pandectis Florent. numeris carere. Ubi nova lex, ibi nova quoque linea incipit, nomina Prudentium vero initialibus, reliquis majoribus litteris insignia sunt, varii quidem coloris, quippe quae modo nigro, modo rubro colore exaratae sint; sed hac sola ratione altera ab altera lege in codice Florentino distinguitur. Aliter in codice Neapolitano, eo insigni, quod numerus, quem singulae leges in serie omnium tituli alicujus legum obtinent, vel sub nomine vel ante nomen ICti cum certa quadam elegantia adjectus est. Fuerunt, qui leges in omnibus Digestorum codicibus, Glossatorum schola antiquioribus, numeris caruisse, atque inde maxime eam rationem, singulas leges primo cujusque vocabulo significandi, quae quidem a Glossatoribus fere sine exceptione observatur, ortam esse censerent. Jam prius hanc sententiam falsam videri, *Vir Celeberrimus Savigny* admonuit [12]), ea maxime ratione nixus, quod varii scriptores, Glossatorum schola antiquiores, ex. gr. Ivo in notandis singulis legibus, nu-

---

12) Geschichte des Roemischen Rechtes im Mittelalter. Band III. Cap. XXII. p. 494. Note 164. pag. 495. 496.

meris usi sint. En vero nunc in fragmentis Neapolitanis argumentum certissimum, leges singulas non in omnibus Digestorum codicibus, qui ultra Glossatorum aetatem tendunt, numeris caruisse.

His omnibus perpensis, nescimus, an non nimiae levitatis arguendi simus, si numeros illos librorum, maxime autem numeros legum singularum in dijudicanda codicis Neapolitani aetate momenti alicujus esse existimemus. Jam enim apertum est, codicis Neapol. internam oeconomiam, (ut ita dicam) ea, quae in Pand. Flor. observata est, multo excultiorem esse. Igitur incrementum aliquod his numeris inesse, nemo non videt; hoc autem jam ex propria ipsius natura posteriorem originem indicat, ideoque nos quidem, ceteris deficientibus argumentis, his tamen, codicem Neapol. post codicem Flor. demum compositum esse, quodammodo probari censemus.

Quid vero de titulis dicendum erit, an hi quoque in codice Neapol. numeris distincti fuerint? In Pand. Florent. alter ab altero titulo nonnisi rubrica sine numero adjecto secerni solet, ita ut verbi causa rubrica: „Ad Exhibendum" vel alia quaelibet inter ultima antecedentis et prima sequentis tituli vocabula posita et majoribus litteris exarata sit. Brencmannus quidem litterarum ac notarum numeralium, quae saepius in codice Flor. ante rubricas titulorum appareant, mentionem facit[13]), ipse vero multum deliberavit, librariisne adscribendae sint an correctoribus, aut quod idem hoc loco esse videtur, illaene jam statim a librario, qui Flor. exemplar transscripsit, an postea demum ab alio quodam adjectae sint. Quod ad codicem Neapol. spectat, coacti quidem sumus, rem in dubio relinquere, quod neque finis neque exordium tituli alicujus in fragmentis Neapol. reperitur; ex nostra vero sententia haud probabile est, titulos numeris caruisse, cum partes titulorum, i. e. leges numeris distinctae sint, atque usum eorum a majori ad minorem Digestorum partem transiisse, ipsa rei natura docere videatur.

---

13) Brencmannus l. l. Lib. II, Cap. III, p. 127.

Sequitur, ut de iis quoque numeris paucis disseram, quibus quaterniones vel quinterniones in Pand. Flor. indicantur. Ait Brencmannus[14]): „Ad merum quoque sed innocuum librariorum arbitrium refero Notas numerales, initio singulorum quaternionum ad calcem paginae introrsum subjectas ordinis causa, ne scilicet nondum ligato codice dissolutae illae chartarum collectiones facile confunderentur, utque deinceps eo commodius recte ligari compingique opus posset.“ Necessarium puto adjicere, verbis: „quaternio vel quinternio“ fasciculos octo vel decem foliorum hoc loco intelligendos esse. Brencmannus igitur hac de re verba facit, tamquam totus codex Florentinus in quaterniones, i. e. in fasciculos octo foliorum divisus esset. Quod omnino falsum est; nam multo plures reperias quinterniones quam quaterniones, sed et terniones, i. e. fasciculi sex foliorum haud rari sunt, quinimo fasciculi septem foliorum plus quam semel tibi occurrunt. Et si quaeras, quanam solida ratione ista fasciculorum varietas nitatur, ex meo quidem judicio inde solum orta est, quod librarii membranarum copia saepius destituti erant, unde recte quidem quinternionum distinctionem observabant, si satis erat membranarum, his vero deficientibus, illum in Pand. Flor. alias usitatum ordinem negligere non dubitabant. Sed videamus, quid de codice Neapol. dicendum sit, an in eo quoque hic partitionis modus exstiterit. Et mihi quidem persuasum est. Jam enim constat, eundem in membranis antiquis, in quibus opera argumenti juridici continentur, fere semper reperiri, et nuper demum a *Viro Celeberrimo Goeschen* edocti sumus, primitivum Gaji codicem similibus plurium foliorum fasciculis compositum fuisse[15]). Quod vero hanc meam sententiam confirmare videtur, equidem in margine inferiori ejus folii, quod leges tituli „Communi Dividundo“ complectitur, numerum „IX“ deprehendere mihi visus sum, nec dubito, quin vestigia numeri alicujus majoris, quinternionem

---

14) l. l. Lib. II. Cap. III. p. 126. 127.

15) Praefatio ad Gajum p. XXXIII.

vel quaternionem significantis, hoc loco conservata sint. Cum vero de ipso numero non plane certus essem, signo interrogationis apposito hanc ambiguitatem indicare volui.

Restat, ut de signis illis, quae numerum „X" in margine superiori paginarum cingunt[16]), pauca verba adjiciam. Quae quidem argumento esse videntur, codicem Neapol. in minutiis quoque certam quandam elegantiam prae se tulisse. Negari non potest, inter haec signa et litteram f aliquam exstare similitudinem, unde quispiam existimare possit, in hisce signis Digestorum siglam „ff." expressam esse. Ex meo vero judicio haec opinio rejicienda est, ita ut ea sententia, secundum quam illa Digestorum sigla ex littera „D" orta est[17]), posthac quoque tenenda, ista vero signa nonnisi ornamenta habenda sint, eo fine adjecta, ut numeris librorum species quaedam adderetur.

Dixi de iis, quae ad externam fragmentorum Neapolitanorum formam et conditionem spectant. In editione curanda hoc mihi propositum fuit, ut neque adderem aliquam rem, quae in obscuro restitisset, neque minimam lineam vel litteram, quam in membranis antiquis deprehendere potuissem, omitterem. Igitur numerum libri „X" et vocabulum circumcisum „LIB." in iis tantum paginis, ubi satis lucide apparebant, apposui. Curavi quoque, ut singulae lineae hujus editionis singulis lineis in ipsis membranis omnino responderent, et legum numeros, qui adhuc exstant, accuratissime significavi. Cum vero in membranis veteribus alter ab altero articulo neque puncto, neque initiali reliquis majori littera distinctus sit, commodum mihi videbatur, ut punctis quidem non uterer, sed initium unius cujusque articuli novi paullo majori intervallo inter ultimum antecedentis et primum sequentis articuli vocabulum indicarem. Saepius mihi accidit, ut in ipsa vetere scriptura extricanda ope-

---

16) Cf. Specimen infra exhibitum.

17) Cf. Savigny l. l. B. III. Cap. XXII. pag. 407. sq. — Cramer progr. de sigla Digestorum ff. Chilon. 1796. 4.

ram quidem perderem, sed litterarum antiquarum formas vel ex impressione, quam in membrana tenuissima reliquerant, vel ex parvis rimis, quae eradendo ortae erant, cognoscere possem. Quarum litterarum aeque a me habitam esse rationem, ac si ipsos earum ductus, quales in vetere scriptura apparebant, ob oculos habuissem, nemo sane erit, qui miretur. Ubi vero neque rimae istae, vel impressionum vestigia in membranis conservata erant, neque fieri poterat, ut ipsa scriptura antiqua, vel chemicis auxiliis adhibitis, revocaretur, (quod in altera cujusque folii pagina fere semper mihi accidit), ibi tamen lacunas non sine supplementis relinquere volui, sed textu Florentino, vel si forte ex lacunarum spatio conspicuum erat, codicem Neapol. plus aut minus, quam codicem Florent. continuisse, iis vocabulis, quae in codice Neapol. locum habuisse videbantur, impletas eas exhibui, ita quidem, ut haec supplementa, quae minusculis litteris ut exprimerentur, curavi, tali modo a textu fragmentorum Neapol., litteris uncialibus exhibito, facillime dignosci possent. Sed vocabulum aliquod, aut syllabam, aut denique nonnisi unam litteram deprehendere mihi visus, neque tamen penitus hac de re certus, signum interrogationis semper adjeci, et sic cavere conatus sum, ne incuriae vel negligentiae accusari possem. Cum vero singulas paginas omnesque earum lineas universe contuendas proponere vellem, numerum ad quartum quemque versum in exteriori cujusque paginae margine apposui, et cum longe absit, ut omnes singularum legum numeri in membranis nostris conservati sint, ut isti quoque numeri in margine interiori unius cujusque paginae adderentur, necessarium mihi videbatur. — Quod ad grammaticam rationem attinet, jam supra demonstratum est, librarium in nonnullis vocabulis inconstantem fuisse; equidem vero in quolibet loco scripturam antiquam retinendam esse censui, meque per omnia ad codicis exemplum conformavi.

Jam hoc quoque in consiliis nostris fuit, parvum hoc opus ita instruere, ut, quibus in locis littera Pisana (ut ajunt Glossatores) vel Florentina, eaque, quam litteram veterem sive vulgatam appellamus, a littera Neapolitana disce-

dant, ob omnium oculos positum esset. Igitur variantes lectiones vel duplices litterae appositae sunt, ita quidem, ut quae ad primam cujusque folii antiqui paginam spectent, in secunda folii antecedentis pagina, quae ad secundam istius folii paginam pertineant, in prima sequentis folii pagina accurate indicatae sint.

In illis paginis, quae lectiones variantes continent, opus videbatur, ut litteram Pisanam a littera vulgata duabus columnis separarem; sed et in fragmentorum nostrorum contextu inter notas, quibus varians lectio Florentina et diversa littera vulgata significaretur, distinguendum erat. Igitur litteris alphabeti latini usus sum, quibus varians lectio vulgata indicaretur, contra asterisci et cruces, quas in contextu passim reperias, diversam litteram Pisanam innuunt.

Cum maxime mea interesset, ut quaenam essent diversitates codicis Neapolitani et Florentini, exploratissimum haberem, Florentiae nova earum legum, quae fragmentis nostris respondent, collatio a me suscepta est; sed in lectione vulgata constituenda nonnullis editionibus antiquis usus sum, quales in bibliotheca regia Vratislaviensi mihi in promtu erant, et quidem hisce:

1) Digestum vetus, Venet. ap. Jenson (In fine sic: Digestum vetus magna cura atque diligentia emendatum illustri insignique Nicolai Jenson Galici, qui hujus rei alios opifices facile antecellit, quod diligentissime expressum feliciter explicit.) fol. (maj.)

2) Digestum vetus de Tortis. (Venet. per Bapt. de Tortis 1494. ult. Oct.) fol. (maj.)

3) Digestum vetus de Tortis. (Venet. per Bapt. de Tortis. 1498. 5. Oct.) fol. (maj.)

4) Digestum vetus de Tortis. (Venet. per Bapt. de Tortis 1502. 3. Nov.) fol. (maj.)

5) Digestum vetus, quinquaginta librorum Pandectarum primum volumen, XXIV libros continens, erratis abjectis ac glosis transpositis suis locis restitu-

tutis, magna impressum sedulitate subjecta complectitur. (Lugd. opera Francisci Fradin. 1511.) fol. (maj.)

6) Digestum vetus quinquaginta librorum pandectarum primus tomus XXIIII libros continens: majore longe ac nuper impressum sedulitate subjecta complectitur. Paris per Andr. Boccardum, sumpt. ejus et Joh. Petit. 1513. Cal. Oct. 4. 2 Voll.

7) Digestum vetus. (Lugd. opera Franc. Fradin, imp. Aymonis de porta 1516. 18. Jun. fol.) (maj.)

8) Digestum vetus. Digestorum seu Pandectarum Imperatoris Justiniani primus tomus, quod Digestum vetus appellant etc. (Lugd. per Franc. Fradin, imp. Aimonis de porta. 1527.) fol.

9) Digestum vetus. Digestorum seu Pandectarum Imperatoris Justiniani primus tomus, quod Digestum vetus appellatur etc. (Lugd. per Franc. Fradin, imp. Aimonis de porta 1529.) fol.

10) Digestorum seu Pandectarum libri quinquaginta. Editi Norembergae per Gregorium Haloandrum, munificentia ac liberalitate ampliss. ordinis ibidem. 1529. Cal. April. 4. 3 Voll.

11) Digestum vetus, Digestorum seu Pandectarum juris civilis Tomus primus, quod peculiari vocabulo Digestum vetus appellatur etc. (Lugd. per Franc. Fradin, imp. Hug. de porta, 1537.) fol.

12) Digestum vetus, Digestorum seu Pandectarum juris civilis Tomus primus, quod peculiari vocabulo Digestum vetus appellant etc. (Lugd. imp. Hugonis et heredum Aemonis a porta 1540.) fol.

13) Pandectarum Civilium Sectio prima, Digestum vetus vulgo vocitata, ad nuper inventorum exemplarium fidem diligenter recognita etc. (Lugd. per Dionysium Harsyum, imp. Antonii Vincent. 1541. fol.

14) Digestum vetus. Dn. Justiniani, sacratissimi principis, Juris enucleati, ex omni veteri jure collecti, Digestorum seu Pandectarum Tomus primus. (Lugd. ap. Hugon. et haeredes Aemonis a Porta. 1542.) fol.

15) Digestum vetus (etc. ut in edit. Lugd. 1542.) Lugdun. ap. Hugon. et haered. Aemonis a Porta. 1545. (Lugd. per Dionys. Harsyum, imp. Anton. Vincent. 1541.) fol.

16) Digestum vetus D. Justiniani, sacratissimi principis, Juris enucleati, ex omni vetere jure collecti, Digestorum sive Pandectarum Tomus primus, qui inveterato vulgi usu Digesti veteris nomen obtinuit. (Lugd. ap. Hugon. et haered. Aemonis a Porta 1548.) fol.

17) Digestorum seu Pandectarum tomus primus, complectens libros XXIV priores. Vulgo Digestum vetus inepte vocatur. (Paris ap. Carolum Guillard, viduam Clau. Chevallonii st Gulielmum Desboys . . . 1548.) 4.

18) Pandectarum juris civilis libri quinquaginta, nunc primum cum hac formae venustate excusi, tum post omnium editiones, et Haloandri castigationem, ad librorum Florentinorum fidem innumeris in locis emendati. (Lugd. apud Gulielmum Rouillium 1550 et 1551.) 12. 7 Voll.

19) Digestum vetus. Digestorum seu Pandectarum Juris Enucleati ex omni jure veteri in libros quinquaginta collecti authoritate Sacratissimi Principis Dn. Justiniani Augusti tomus primus. (Digestum vetus vulgo vocant). (Lugd. ap. Hug. a Porta 1557.) fol.

Et hae quidem sunt editiones, quibus in littera vulgata constituenda usus sum. Sed opus videtur, ut de ipsis editionibus pauca in medium proferam.

Quod ad omnium antiquissimam, quae primo loco indicata est, attinet, multa sunt, quae ea sola prae ceteris propria habet. — Jam in illis editionibus, quae per Baptistam de Tortis curatae sunt, alium reperias textum, quem tamen omnino eundem esse in singulis hujus nominis editt., quas supra annotavimus, conspicuum est. — Sequuntur deinde editt. Fradinae, quae ante editionem Haloandrinam typis vulgatae sunt; quibus in dijudicandis duae re-

censiones distinguendae esse videntur. Etenim, quae annis 1511 et 1516 in lucem prodierunt editt., eundem exhibent textum, ita ut posteriorem ex priori emanasse, nemo non videat; idemque de editione Boccardiana anni 1513 dicendum est, quae quo minus ad eandem editionum familiam pertineat, dubitari nequit. Contra vero editiones Fradinae, quae annis 1527 et 1529 emissae sunt, inter se quidem plane conveniunt, unde merito colligitur, editionem anni 1529 ex editone anni 1527 repetitam esse; ab illa priori autem recensione anni 1511 haud parum eas discrepare, manifestissimum est. — Jam ad editionem Haloandrinam progredimur. Satis constat, Haloandrum textum Digestorum partim ex Pandectis Florentinis et aliis Digestorum Codd., partim ex proprio ipsius judicio composuisse. Igitur non liquet, quatenus singulae lectiones variantes editionis Haloandrinae vel in codice aliquo antiquo ab eo repertae, vel emendationes sint, quae ipsi necessariae videbantur, ideoque jam hac de causa editio Haloandrina hic non praetermittenda erat. Sed aliud quoque huc accedit, quod praeterire non licet. Spectamus autem magnam illam auctoritatem, quae editioni Haloandrinae tributa est, priusquam editio Taurelliana anno 1553 textum Florentinum purum et incorruptum exhibuisset. Cujus rei argumentum certissimum in ceterarum omnium editionum, quae post Haloandrinam et ante Taurellianam in lucem prodierunt, indole et natura positum est. Si enim earum textum paullo accuratius consideres, statim cognoscas, eum ex textu Haloandrino et littera vulgata varie compositum esse, novi autem nihil omnino in his editionibus contineri. Editionum Lugdunensium, quae annis 1537, 1540, 1542 et 1545 typis vulgatae sunt, tantus est concentus, ut ipsa errata, verbi causa „condictione“ pro „conditione,“ in principio legis 7. Fam. Herc. eadem in omnibus reperiantur; in editione Rouilliana autem, quae annis 1550 et 1551 in duodenaria forma Lugd. typis excusa est, fere textum editionis Haloandrinae exhibitum esse videas. Denique monendum est, in hisce editionibus posterioribus, quae ad media illa tempora inter editt. Haloandrinam et Taurellianam pertinent, variantes quoque lectiones aliquot in margine in-

teriori et exteriori unius cujusque paginae indicatas similiterque inscripsiones legum adjectas esse, ita tamen, ut in plerisque longe maxima earum pars nondum in textum recepta sed in marginibus annotata sit.

Sed restat, ut de consilio, quo in vulgata littera constituenda usus sim, paucis disseram. Cum textus ille, quem dicimus communem, non sit res quaedam perfecta et finita[18]), tunc solum certum esse videbatur, lectionem aliquam vulgatam esse dicendam, si eadem vel in omnibus vel tamen fere omnibus illis editionibus antiquis exhibita esset; et lectiones hujusmodi semper in ea columna, quae litteram vulgatam continet, indicatae sunt. Sed constat, in iis quoque codicibus et editionibus antiquis, quae textum communem exhibent, lectiones singulares, quae quidem neque cum littera Florentina neque cum littera vulgata conveniant, haud raro inveniri. Igitur ne hoc quidem negligendum erat; quapropter tertiam insuper columnam adjeci, quae lectiones illas singulares complecteretur. Sed varias illas editiones, supra annotatas, unam ab altera distinguere conatus, compendiis verborum et siglis usus sum, et quidem hisce:

Editionem antiquissimam, quae Venetiis apud Jenson typis excusa est, significare volui litteris: Jn — littera T innuit editiones de Tortis, litt. F primam recensionem editionum Fradinarum, litt. B editionem Boccardianam, litterae Fr. secundam recensionem editionum Fradinarum, litt. H editionem Haloandrinam; denique, quod ad ceteras illas editiones attinet, quae post Haloandrinam prodierunt, ex causis jam supra allatis unius tantum rationem me habuisse, nemo erit, qui miretur. Elegi autem ex reliquis eam editionem, qua Lugd. per Franc. Fradin, imp. Hug. de porta, anno 1537 exiit, eaque in lectionum variantium indice litt. Hug. designata est. — Sed jam desiderabatur etiam signum aliquod singulare, quo quidem in ipso contextu fragmen-

---

18) Cf. Savigny l. l. B. III. Cap. XXII. p. 446. Note 83. — Mühlenbruch, Doctrina Pandectarum. Vol. I. §. 18.

torum Neapol. adjecto, hujusmodi lectionem singularem in aliquo loco exstare, conspicuum esset; quem ad finem numeris me usum esse, ultimo loco indicare volui.

Et de consilio, quod in edendis fragmentis Neapolitanis secutus sum, haec existimavi esse dicenda.

Jam igitur ipsum verborum contextum in fragmentis nostris consideremus et videamus, quid ad Pandectarum historiam omnino inde efficiatur. Primum quidem apparet, eum purissimum atque incorruptissimum dicendum esse. Supra demonstratum est, codicem Neapolitanum in omnibus, quae nonnisi ad externam ejus formam spectant, et venustate, et eo, quod in minutiis quoque accuratissimus fuerit, excelluisse. Ad hanc igitur alia ejus praestantia, et major haud dubie accedit, quod quidem et interna ejus conditio optima fuisse videatur. Sed, hoc concesso, sane mirum est, quantopere codex Neapolitanus et Florentinus inter se congruerint. Haud desunt quidem omnino variantes lectiones, (ut in ipso earum indice conspici potest), et jam ex rei natura sequitur, fere fieri non posse, ut duo codices ne in minima quidem re unquam discrepent. Sed earum numerum minimum esse satis apertum est, nec erit, qui miretur, nos quidem ex ista fragmentorum Neapol. conditione colligere, in ceteris Digestorum partibus inter litteram Pisanam et Neapolitanam similem fuisse concentum. Jam inde sequitur etiam, ut codex Neapol. eodem fere modo, quo Florentinus, codd. vulgaribus, qui lectionem communem exhibent, oppositus sit, cujus rei argumentum certissimum in ipso indice lectionum variantium positum est.

Quamquam hactenus quidem praeter codicem Florentinum et fragmenta quaedam in papyro descripta[19]), de aliis Digestorum codd., Glossatorum schola antiquioribus, nihil omnino constitit, tamen jam dudum omnes, qui sanae mentis sunt, persuasum habuerunt, praeter codicem Flor. alios quoque codd.

---

19) Cf. Savigny l. l. B. III. Cap. XXII. p. 434. N. 64.

antiquos exstitisse et Glossatoribus notos fuisse [20]). En vero in fragmentis Neapolitanis partem haud contemnendam codicis alicujus antiquissimi ante oculos habemus. Probari quidem nequit, quinimo haud probabile est, ut infra videbimus, Glossatores partes integras codicis Neapolitani, quibuscum folia nostra olim cohaerebant, cognitas habuisse et possedisse, sed hoc loco jam magni momenti est, fragmenta Neapol. omnino exstare, majoris vero momenti, tantam eorum et Pandect. Florent. esse congruentiam. Unde primum quidem novum argumentum ad sententiam nostram, jam supra de remotiori codicis Neapol. vetustate prolatam, accedere videtur, deinde vero certo testimonio probatur, summam eam auctoritatem, quae Pandectis Flor. hactenus semper tributa est, iisdem re vera deberi. Sed haec quaestio infra denuo tangenda erit.

Forsitan aliquis codicem Neapol. ex ipso Florentino emanasse existimet. Cum fieri non possit, ut haec sententia argumentis indubitatis vel probetur, vel refutetur, nos quidem totam rem in dubio relinquere coacti sumus. Si vero quaeramus, quid verisimilius sit, quid non, nemo non videt, istam opinionem rejiciendam esse. Ex meo igitur judicio horum duorum codicum neuter ab altero dependet, mihique hoc ipsum ut concessum in sequentibus sumere liceat, donec ab alio quodam contrarium mihi demonstratum sit.

Sed quae de ipsa Pandectarum historia ex fragmentis Neapolitanis eorumque indole sequantur, haec mihi esse videntur.

Cum Digesta cum ceteris juris fontibus ab Imperatore Justiniano in Italiam missa essent, sine dubio saepius mox describebantur in variisque locis curabatur, ut codices manuscripti, qui admirandum hoc opus continerent, in promtu essent. Quod quidem jam ex ipsa Justiniani lege, quam pragmaticam ejus sanctionem appellamus, colligi potest. Si enim ait [21]); „Jura vel leges, codicibus nostris insertas, quae jam sub edictali programmate in Italiam dudum

20) Cf. Savigny l. l. B. III. Cap. XXII. inprimis pag. 419.

21) Cf. Pragm. Sanctio Justiniani de anno 554 c. XI. — Savigny l. l. B. II. Cap. XII. p. 174.

misimus, obtinere sancimus," nemo non videt, hoc fieri non potuisse, nisi in pluribus Italiae partibus codices manuscripti jurium illorum et legum parati fuissent. Dubitari nequit, quin omnes isti codices primis temporibus simillimum et fere eundem verborum contextum exhibuerint, primum quidem, quod ab ipso fonte paullisper tantum recederent, deinde quod constitutio illa notissima Justiniani „De Confirmatione Digestorum ad Magnum Senatum" (§. 22)[22]) principio saltem efficeret, ut Digestorum opus majori cum diligentia et cura describeretur.

Quae cum ita esse videantur, inde, ni fallimur, sequitur, summam illam venerationem, quae codici Florentino omni aetate tributa est, non ideo ei deberi, quod jam a primis temporibus reliquis omnibus Digestorum codd. excelluerit, sed ea solum ratione, quod unicus ille est, quem fortuna, ut antiquitatis remotissimae venerabile monumentum conservari voluit. Hinc vero porro efficitur, quemvis alium Digestorum codicem, si forte posthac unus vel alter adhuc reperiatur, qui iisdem temporibus antiquissimis assignandus sit, eandem mereri venerationem eademque frui debere auctoritate; neque fieri plane posset, ex causis jam supra allatis, ut multum a codice Florentino discreparet, quin haud dubito contendere, majorem a codice Florentino diversitatem recentioris et Glossatorum scholae propioris aetatis testimonium semper habendum fore. Jam igitur hoc ut firmum ac certum teneamus, verborum contextum in antiquissimis Digestorum codd. simillimum et fere eundem fuisse.

Verum enimvero hoc ipso concesso, nihilominus tamen ex rei natura colligi potest, jam in omnibus hisce codicibus exstitisse variantes lectiones, ita ut ne unus quidem alterum in quovis vocabulo, in qualibet syllaba retulerit et expresserit. Et cum ipsa rei natura hoc ut certum indubitatumque docere videatur, tota haec argumentatio fragmentis Neapol., si cum Pand. Florentinis ea conferas, miro modo confirmatur, quippe quae, cum eadem fere sit utrorumque aetas, idem fere verborum contextus, tamen non per omnia inter se congruant.

---

22) Cf. quoque l. 2, § 22. C. de veteri jure enucleando. (I. 17.)

Satis constat, usum juris Romani in Italia nullo tempore plane exolevisse. Cum vero tota fere Italia a Longobardis expugnata esset omnesque bonae artes paene caligine inductae per longum temporis spatium laterent, ipsorum juris Justinianei librorum lectio atque usus haud frequens quidem fuisse[23]), inter omnes vero eorundem partes nulla alia ex vitae communis usu magis excidisse videtur, quam ipsa Digesta vel Pandectae, quippe ad quorum intellectum nemo accedere possit, nisi qui antiqui juris rationes penitius perspectas habeat. Cujus nostrae sententiae jam id quoque, ni fallimur, argumentum habendum est, quod veteres illae Pandectarum membranae Neapolitanae in fine noni saeculi, ut videtur, ad rescribendum praeparatae fuerunt, quod ex nostro quidem judicio nunquam fieri potuisset, nisi Digestorum usus minimus in judiciis fuisset; neque contra probabile est, tantam fuisse codicum illorum copiam, ut unum vel alterum eorum deleri, parvum haberetur detrimentum.

Quae cum concedenda sint, quod negari nequeunt, tamen haud contemnenda codicum Pandectarum copia ex prioribus temporibus relicta fuisse videtur, nec in dubium vocari potest, quin Pandectae posterioribus quoque saeculis, decimo inquam et undecimo, inter eos libros fuerint, qui saepius de integro describerentur et in variis Italiae bibliothecis conservarentur. Et si quaeras, quanam solida ratione haec mea sententia nitatur, tota juris Romani historia, nuper a *Viro Celeberrimo Savigny* innumeris erroribus, qui hanc studiorum partem diu involverunt, liberata et quasi ad novum gloriae et auctoritatis fastigium elata, eam probare videtur. Quo enim, ut pauca tantum exempla afferam, *Quaestiones* illae ac *Monita Lombardica*[24]), primum a *Muratorio* edita, referenda sunt, quonam liber iste antiquus, quem *Brachylogum* dicunt, spectat?[25]) nonne patet ex iis, notitiam juris Justinianei

23) Cf. Mühlenbruch, l. l. §. 14. p. 39.
24) Cf. Savigny II. Cap. XIV. p. 231. sq.
25) Cf. Savigny l. l. II. Cap. XIV. p. 238. sq.

ejusque fontium nullo tempore in Italia exstinctam fuisse, auctoresque librorum illorum ipsos Pandectas optime cognitos habuisse? quid denique? nonne constat, scholam juris Romani per omnes fortunae casus Ravennae semper conservatam fuisse?[26]) Unde recte colligitur, Digestorum volumina in variis Italiae bibliothecis ante Glossatorum scholam omni aetate exstitisse. Sed quod ad ipsam eorum conditionem attinet, jam ex rei natura argumentari licet, verborum contextum, qui in codicibus istis posteriorum saeculorum, decimi et undecimi, exhibitus erat, magnis corruptelis sensim affectum fuisse. Non videmus enim, quomodo fieri potuisset, ut temporibus istis, artium et litterarum luce tantopere destitutis, haec genuina antiquitatis monumenta, quae in Digestorum libris posteritati tradita sunt, pura et incorrupta describerentur. Hujus vero sententiae, quae jam temporum istorum indole et conditione probari videtur, non desunt alia certa argumenta. Et huc maxime pertinet opus illud, cui nomen est: „*Petri Exceptiones Legum Romanorum*;“ ejus enim auctorem textu Digestorum corruptissimo usum esse, qui tum a Pisana, tum a vulgata littera magnopere discrepet, nuper a *Viro Celeberrimo Savigny* satis demonstratum est.[27])

Sed jam inde a saeculo duodecimo litterarum studia novum et incredibile incrementum in Italia ceperunt. Bononiae schola juris ab Irnerio aperta est,[28]) Digestorum vero codices, Ravenna ut fama fert, non integri, sed partes tantum magni voluminis continentes, Bononiam transportati sunt. Quaestio mihi videtur maximi momenti, cui aetati codices isti, quibus Glossatores primis temporibus utebantur, assignandi sint. Ex mea sententia iis demum temporibus, quae scholam Bononiensem paullisper antecedebant, descripti fuerunt, ita ut contextum corruptiorem et magnam prioris aetatis caliginem prodentem

26) Cf. Savigny l. l. III. Cap. XVIII. p. 82.
27) Cf. Savigny l. l. II. Cap. IX. inprimis p. 146. 147. 150.
28) Haubold Institt. Juris Rom. litter. Tom. I. §. 21. p. 32. — Mühlenbruch l. l. §. 15. p. 41.

exhiberent, sed infra denuo haec res tangenda erit. — Haud diu quidem Doctores Bononienses ignoraverunt, Pisis antiquissimum illud et integrum Pandectarum exemplar exstare, nec scire nil referret, quo anno primus de eo nuntius Bononiam perlatus sit. Cum igitur textus vetustissimus et incorruptissimus tali modo repertus esset, fere fieri non potuit, quin hoc ipsum exemplar Pisanum ad summum gloriae fastigium efferretur et paene legis vel normae auctoritatem adipisceretur. Verum enimvero Glossatores haud fugit, lectiones reliquorum codicum variis in locis Digestorum litterae Pisanae multo praeferendas esse, quinimo textum Florent. saepius male cohaerere et reliquis codicibus suppleri, optime intellexerunt, nec veneratio illa, quam Pisano exemplari impertiebantur, tam immodica errat, ut ubique locorum nonnisi litteram Pisanam tenendam esse censerent. Itaque Digestorum textum quodammodo aequabilem atque sedula certisque subnixa rationibus recensione emendatum constituerunt, talique modo conferendo, tollendo et addendo littera illa vulgata vel communis orta est, quam nihil nisi recensionem sive litteram Bononiensem esse, jam satis apud omnes receptum est. [29])

Vir Celeberrimus Savigny indicem plurium legum adjecit, in quibus litteram Pisanam male, vulgatam autem lectionem optime cohaerere ideoque prae illa habendam esse, apertissimum est. [30]) Nemo non videt, verba illa et articulos, qui in Pand. Florent. desunt, a Glossatoribus nullo modo inveniri potuisse. Igitur hoc solum restat, eos ex iis codicibus, quos Glossatores praeter exemplar Florent. cognitos habuerint, sumtos esse. Cum illi vero ex meo quidem judicio iis temporibus, quae scholam Bononiensem paullisper tantum antecedebant, assignandi sint, verba ista et articulos in codd. Glossatorum

---

29) Cf. Savigny l. l. II. Cap. IX. p. 149. — III. Cap. XXII. p. 413. 424. sq. Mühlenbruch l. l. §. 18. p. 81. Wenck Magist. Vacarius. p. 145. 221. not. 109. cf. ibi not. 180. p. 250—254. not. 380. p. 295. not. 392. p. 297.

30) L. l. III. Cap. XXII. p. 422. sq.

ex membranis antiquioribus transiisse oportet. Et hac de causa magnopere dolendum est, ne unam quidem illarum legum in fragmentis Neapolit. contineri, quum verisimillimum sit, in codice Neapol., si non omnia, attamen aliquot horum supplementorum exstitisse.

Auctoritas Pandectarum Florent. eo non imminuta est, quod lectiones variantes ceterorum codicum in nonnullis locis praestantiores et hac de causa praeferendae esse videbantur. Cujus rei rationem primum quidem in eorum integritate, deinde in antiquitate remotissima quaeramus necesse est. Haud dubitamus igitur contendere, si Glossatores praeter exemplar Florent. unum tantum codicem ejus aetatis et conditionis habuissent, qualem codicis Neapol. integri olim fuisse vidimus, nunquam fieri potuisse, ut littera Pisana tantam adipisceretur auctoritatem. Et huc spectant, quae jam supra monita sunt, primum quidem, ceteras integras codicis Neapolit. partes, quibuscum fragmenta nostra principio cohaerebant, Glossatoribus ignotas fuisse videri, deinde Doctores Bononienses ex meo quidem judicio praeter Pandectas Florent. non nisi codd. saeculorum posteriorum, decimi ex. gr. vel undecimi, usos fuisse. Ponamus enim, praeter Pandectas Pisanos libros Digestorum majoris antiquitatis, sexti vel septimi saeculi, in eorum manibus fuisse, non intelligitur, quomodo libri isti multum a Pand. Florent. discedere potuerint; jam supra enim ex conditione fragmentorum Neapolit. conclusum est, codd. antiquissimos simillimum et fere eundem textum exhibuisse; si vero reliqui codd., quibus Doctores Bononienses praeter Pand. Florent. utebantur, paullisper tantum a Pisano exemplari discrepabant, tunc quidem in dubio restat, qua ratione factum sit, ut Pand. Florent. ad tantum auctoritatis fastigium eveherentur.

Quaeri potest, quaenam fuerint causae, ut fere omnes isti codd. antiquissimi, in quibus Digesta continebantur, rerum natura excesserint? Et mihi quoque verisimillimum esse videtur, magnam vel maximam eorum partem in papyro descriptam fuisse.[31]) Cum vero papyri usus jam inde a saeculo sep-

31) Savigny l. l. III. Cap. XXII. p. 434. N. 64.

timo paene nullus esset in Europa[32]), hoc idem de istis codd., quibus Glossatores ex meo judicio praeter Pand. Florent. usi sunt, haud concedi posse videtur. Quare igitur hi quoque perditi sint, probabile est, hanc solam esse rationem, quod textum corruptiorem exhibebant eoque inutiliores erant, quo magis Glossatores in ipso textu emendando progrediebantur.

Denique restat, ut de loco, quo fragmenta nostra reperire mihi contigit, pauca verba adjiciam. Haud in nullo discrimine pono, Neapoli, in Italia inferiori hoc factum esse. Cum tota fere Italia versus finem saeculi sexti a Longobardis expugnata esset, tamen Ravenna cum Exarchatu et Pentapoli, Roma ejusque Ducatus, denique aliquot partes Italiae inferioris in Graecorum ditione relictae sunt[33]). Jam verisimile est, in istis Italiae partibus, quae imperio Graeco subjectae erant, per aliquod temporis spatium plures librorum juris Justinianei codices, quam in ceteris regionibus Italiae compositos esse, quum ibi solum usus horum librorum in necessitatem quandam versus ideoque eorum copia maxime opus fuisse videatur. Unde, ni fallimur, sequitur, codicem Neapolit., (quem saeculo septimo assignandum esse, supra demonstrare conati sumus), in loco aliquo, Graecorum Imperio subdito, descriptum esse. Et mihi quidem vel Neapolis ipsa, vel alia quaedam urbs sive monasterium Italiae inferioris locus ejus natalis fuisse videtur, nisi quis forte credere velit, hunc quoque Digestorum codicem Constantinopoli vel tamen in Imperio Orientali compositum et postea demum in Italiam transportatum esse. Sed liceat mihi hoc loco, opinionem istam, quae diu quidem recepta, nuper vero a *Viro Celeberrimo Savigny* rejecta est[34]), eam inquam, Pandectas Florent. ab Amalphi Pisas translatos esse, omnibus ceteris additamentis, quibus diu involuta est, rejectis, argumentis quibusdam tueri. Primum enim haud intelligitur, quibus de causis tota haec narratio inventa fue-

32) Schönemann l. l. B. I. §. 116. p. 477.

33) Savigny l. l. I. Cap. VI. p. 291.

34) Savigny l. l. III. Cap. XVIII. p. 85. sq.

rit [35]), deinde multo verisimilius mihi videtur, volumen illud Digestorum Constantinopoli, ubi confectum esse dicitur, in Italiam inferiorem quam Pisas translatum fuisse, ea solum ratione, quod maxima pars Italiae inferioris tunc temporis ad Imperium Orientale pertinebat, ideoque major in illis locis esse videbatur necessitas, jura et leges hujus imperii in promtu habendi, quam in reliquis Italiae partibus. Et si Bartolus ait [36]): ,,hoc volumen (Infortiatum) nunquam fuit amissum. Semper enim totum volumen pandectarum Pisis et adhuc est," hisce verbis mihi quidem non significare videtur, volumen Pandectarum omni tempore Pisis fuisse, sed ex quo tempore Pisis fuerit, semper *totum* ibi fuisse. Igitur ex mea sententia non restant nisi verba Odofredi [37]): ,,Unde si videatis pandectam, quae est pisis, quae pandecta quando constitutiones nostrae fuerunt factae fuit deportata de constantinopoli pisis, est de mala littera;" quae tamen ita obiter dicta et in aliam orationem injecta sunt, ut nesciam, an in iis solis non satis argumenti contra cetera hac de re testimonia positum sit.

Jam ad finem peracta brevi hac mea commentatione, vehementer precor, ut viri periti benevole eam excipere et dijudicare velint.

Scribebam Vratislaviae die XII. Junii MDCCCXXIII.

---

35) Brencmann l. l. Lib. I. Cap. IV.
36) Bartolus in rubr. D. soluto matrim.
37) Odofredus ad L. In rem actio D. de rei vind.

Nota. Praefatione jam typis expressa, supra a me erratum esse animadverto, cum dixerim, in secunda pagina ultimi folii nonnisi triginta et unam lineas scriptas esse; nam uti ceterae paginae, ita haec quoque triginta et duas lineas complectitur. —

QUATUOR FOLIA IPSA

CUM

INDICE LECTIONUM

VARIANTIUM.

Lectio Florentina	Lectio Vulgata	Lectiones singulares
*) „erciscundae" quod fere semper in Pandect. Flor. ita legitur.	a) Numeri legum et b) Jnscriptiones praeter nomina JCtorum in omnibus editt. antiquis ante Haloandrinam omnino desunt; quod semel tantum anno tasse sufficiat.	
	c) „in hoc judicium" Jn. T. F. B. Fr. H. Hug.	1) „iis" H. Hug.
**) „lectionis"	d) „et" deest. Jn. T. F. B. H. e) „lectionis" in omnibus editt. antiq. et H.	2) „et" Hug. 3) „his" deest. Jn. H. Jn margine edition. Hug. et posteriorum editionum haec varians lectio annotata est.
	f) „ex" deest. Jn. T. F. B. Fr. H. Hug.	4) „vel aut vi" T. — 5) „aut clam aut" H. Hug.
	g) „in aedem deponi" in omnibus editt. ant. et H.	
	h) „in aedem deponere" in omnib. editt. ant. et H.	6) „tenere" Jn. H.
	i) „ceteris descriptum et recognitum faciat," in omnibus editt. ant. et H. l) „Si autem omnes" Jn. T. F. B. Fr. Hug. m) „hisdem." Jn. T. F. B. Fr.	7) „iis," H. Hug.

RA ACTIONIS OFFICIO JUDICIS TRANSLATA SUNT
L. 4 IIII [a] VLPIANUS LIBRO NONO DECIMO AD EDICTUM [b] CETE
RAE ITAQ. RES PRAETER NOMINA VENIUNT IN HOC
JUDICIUM SIN AUTEM NOMEN UNI EX HEREDIBUS
LEGATUM SIT JUDICIO FAMILIAE HERCISCUNDAE*)
HOC HERES CONSEQUITUR MALA MEDICAMENTA
ET VENENA VENIUNT QUIDEM IN [c] JUDICIUM SED
JUDEX OMNINO INTERPONERE SE IN HIS [1] NON DE
BET BONI ENIM ET INNOCENTIS VIRI OFFICIO
EUM FUNGI OPORTET TANTUNDEM DEBEBIT FA
CERE ET [d] IN LIBRIS INPROBATAE ELECTIONIS**) [e] MAGI
CIS FORTE VEL [2] HIS [3] SIMILIBUS HAEC ENIM OMNIA
PROTINUS CORRUMPENDA SUNT SED ET SI QUID
EX PECULATU VEL EX [f] SACRILEGIO adquae
SITUM ERIT VEL [4] VI AUT [5] LATROCINIO aut ad
GRESSURA HOC NON DIVIDETUR SE
D ET TABULAS TESTAMENTI DEBEBIT AUT
APUT EUM QUI EX MAJORE PARTE HERES EST JUBE
RE MANERE AUT IN AEDE [g] DFPONI NAM ET LABEO
SCRIBIT VĒDITA HEREDITATE TABULAS TESTAMEN
TI DESCRIPTAS DEPONI OPORTERE HEREDEM EN̄I
EXEMPLUM DEBERE DARE TABULAS VERO AUTHEN
TICAS IPSUM RETINERE [6] AUT IN AEDE [h] DEPONERE
L. 5 V GAJUS LIBRO SEPTIMO AD EDICTUM PROVINCIALE SI
QUAE SUNT CAUTIONES HEREDITARIAE EAS JUDEX
CURARE DEBET UT APUD EUM MANEANT QUI MAJO
RE EX PARTE HERES SIT CETERI DESCRIPTUM ET
RECOGNITUM FACIANT [i] CAUTIONE INTERPOSITA
UT CUM RES EXEGERIT IPSAE EXHIBEANTUR SI OM [l]
NES ISDEM [m] [7] EX PARTIBUS HEREDES SINT NEC IN
TER EOS CONVENIAT APUD QUEM POTIUS ESSE DE
BEANT SORTIRI EOS OPORTET AUT EX CONSENSU

LIB.

vel suffraGio ELIGENDUS EST amicuS APUT
quem DEPONANTUR VEL IN AEDE SACRA [a]) DEPONI
DEBENT
L. 6 VLPIANUS LIBRO NONO DECIMO AD EDICTUM NAM
ad licitaTIONEM REM DEDUCERE ut quî lICitatì
one viCIT [b]) HIC HABEAT INSTRUMENTA heredita
ria hoc NON PLACET*) [c]) MIHI NEQUE POMPONIO
L. 7 Venulejus [1]) LIBRO SEPTIMO STIPULATIONUM SI HE
res unus cum sub coNdicionE adjectuM COHERE
DEM AUT APUT hostes**) [d]) [2]) HABeret dixerit se here
DEM ESSE ET ACtioNE EXPertus vicerit deinde
conditio HEREDIS EXTITeriT VEL POSTLIMI
nIO REDIERIT an victoriae COMMODUM DEBEAT
CUM EO COMMUNICARE***) NAM [3]) INDUBITATE [e])
judicati acTio EI IN SOLIDUM COMPE
TIT ET [4]) ELECTIONEM COHEREDI DANDAM
id est [5]) AUT commuNICANDAM EAM AUT EX
Periundi FACIENDAM POTESTATEM HUIC [6]) QUI POST [7])
viCTORIAM COHereDIS EFFECTUS SIT HERES AUT
reversus sit in cIVITATEM idEMQue obSERVAN
dum si postea natus sit postumus NON ENIM
his personis silentium imputari potEST cum
AD HEREDITATEM POST victoriam cOhEREDIS
pERVenerIT†) [f])
L. 8 VLPIANUS LIBRO NONO DECIMO AD EDICTUM POMPO
NIUS SCRIBIT SI UNI EX HEredibUS PRAELEGA
TAE FUERINT RATIONES NON PRIUS EI TRADEN
DAS QUAM COheredES DESCRIPSERINT NAM
ET SI SERvus ACTOR INQuit Fuerit LEGATUS [8]) NON
ALIAS Eum trADENDUM [9]) quam [g]) RATIONES REDDI
DErit NOS videbimuS NumqUID et cauTIO
SIT INTERPONENDA UT QUOTIES††) [h] DESIDERA

Lectio Florentina.	*Lectio Vulgata.*	*Lectiones singulares.*
	a) „aedem sacram,“ in omnibus editt. ant. et H.	
	b) „vicerit“ Jn. T. F. B. Fr. H. Hug.	
**) „neque mihi“*	*c) „neque mihi“ Jn. T. F. B. Fr. H. Hug.*	*1) „Julianus“ F. B.*
***) „apud hostes adjectum eo;“ „eo“ haud dubie falsum est, „adjectum“ in codice Neap. defuisse videtur, quod ex parvo lacunae spatio colligimus.*	*d) „apud hostes adjectum“ Jn. T. Fr.*	*2) „apud hostes addictum“ F. B. H. Hug.*
****) „communicari“ quod ab Haloandro quoque receptum est.*	*e) „indubitanter“ Jn. T. F. B.*	*3) „an“ H. Hug.*
		4) „competat et puto“ H. Hug. *5) „dandam aut“ („id est“ desunt) H.* *6) „communicandi eam aut experiundi potestatem faciendi huic.“ H.* *7) „potest.“ Jn.*
†) „pervenerint,“ unde verisimile est, in codice Neapol. „huic personae“ pro „his personis“ scriptum fuisse.	*f) „pervenerint“ in omnibus editt. ant. et H.*	
	g) Vulg. inserit „si“	*8) „praelegatus“ Jn. Fr. Hug.* *9) „alias tradendus est“ H. Hug.*
††) „quotiens.“	*h) „quotiens“ F. B. Fr.*	

Lectio Florentina.	*Lectio Vulgata.*	*Lectiones singulares.*
*) „*Jdem Pomponius. Pomponius ait*"		1) „*et columbas*" *H. Hug.*
**) „*Tamdiu quamdiu*" *sed in codice Neapolit.* „*Tamdiu*" *defuisse videtur, quod ex lacunae spatio exiguo fere colligi potest.*	a) „*Tamdiu quamdiu*" *in omnibus editt. ant. et H.* b) „*habent*" *T. F. B. Fr.*	
	c) „*de pecoribus*" *Jn. T. F. B. Fr. H. Hug.*	2) „*et*" *deest T.* 3) „*abreptum*" *Fr.*
	d) „*bestiis*" *Jn. T. F. B* e) „*magis est*" *in omnib. editt. ant. et H.*	
***) „*Tamdiu quamdiu*" *idem enim hoc loco dicendum esse videtur, quod supra annotatum est.*	f) „*ab alia bestia*" *in omnibus editt. ant. et H.* g) „*tamdiu quamdiu*" *in omnibus editt. ant. et H.*	
	h) „*ab eo non fuerit consumptum*" *Jn. T. F. B. Fr. Hug.*	4) „*usuceperint*" *Fr.* 5) „*eae*" *Fr.*
		6) *Sequuntur leges in hoc ordine:* 12, 13, 10, 11, 14, 15 *etc. Jn.* 7) „*eae quoque*" *Fr.*
	i) „*nec minus quoque haeres*" *Jn. T. F. B. H. Hug.*	8) „*possedit*" *Fr. H. Hug.*
†) „*et post,*" *sed hoc* „*et*" *a recentiori manu est.*		9) „*Et si post*" *Jn.*

X

L. 8 Fam. Herc. TAE FUERINT RATIONES vel actOR PRAELEGATUS
COPIA EORUM FIAT PLERUMQ. ENIM AUTHENTICAE
RATIONES SUNT NECESSARIAE ACTORI ad insTru
ENDA EA QUAE POSTEA EMERGUNT AD NOTITiam 4
EJUS SPECTANTIA ET NECESSARIUM est caut
Ionem AB EO SUPER HOC COHEREDIBUS PRAEstari
IDEM POMPONIUS*) AIT [1]) COLUmbas quae emitti so
LENT DE COLUMBARIO VENIRE IN FAMIliae her 8
CISCUNDAE JUDICIUM CUM nosTRAe sint quamdiu**) [a])
CONSUETUDINEM HABEANt [b]) ad nos reveRTENdi quare
si quis eaS APPraehendisset furti nobis compe
TIT ACTio iDEM et in apibus 12
DICITUR QUIA IN PATRIMonio nostro compuTAN
TUR SED ET [2]) SI QUID E [c]) PECOribus nostris a bes
TIA [d]) EREPTUM [3]) SIT VENIRE in familiae herciscun
DAE JUDicium PUTAT SI FERAM evaserit nam ma 16
GIS ESSE [e]) UT NON DESINAT NOSTRUM esse inquit
QUOD A LUPO ERIpitur VEL [f]) ALIA BESTIA quam
DIU***) [g]) AB EO [h]) FUERIT CONsumptum
L. 9 vIIII PAULUS LIBRO vicesiMO TERTIO ad edictum Veni 20
unt in HOC(?) judicium rES Quas HEredeS USU(?)
CEPErunt [4]) cum DEfuNCto traditae ESsent
HAE [5]) quoque res quae hEREDIBUS traditae sunt
CUM DEFUNCTUS EMISset 24
L. 10 x VLPIANUS [6]) libro nono DECIMO AD EDICTUM item
PRAEDIA quae nostri patrIMONII sunt sed et
VECTIGALIA vel suPERFICIARIa NEC MINUS HAE [7])
QUOQUE res [i]) quas alieNAS DEFUNCTUS BONA fi 28
DE POSSIDET [8])
L. 11 xi PAULUS LIBro viceNsimo TERTIO ad edictum
partum quOQUe EDItum†) POST ADITAM HEREDITATEM
L. 12 xII VLPIANUS LIBRO NONO DECIMO AD EDICTUM ET POST [9]) 32

L. 12 LITEM CONTESTatam SABINUS SCRIBIT IN FAMI
Fam. LIAE HERCISCUNDAE JUDICIUM VENIRE ET ADJUDI
Herc. CARE*) [a]) POSSE JDEM ERIT ET SI SERVIS HEREDITARIIS
AB EXTRANEO ALIQUID DATUM SIT RES QUAE SUB
CONDITIONE [1]) LEGATA EST INTERIM HEREDUM [b]) EST
ET IDEO VENIT IN FAMILIAE HERCISCUNDAE JUDI
cium ET ADJUDICARI POTEST CUM SUA SCILICET CAU
SA ut existENTE CONDICIONE EXIMATUR [2]) AB EO
CUI ADJUDICATA EST AUT DEFICIENTE CONDICIONE
ad eoS REVERTATUR a qUIBUS [3]) RELICTA EST JDEM
ET [4]) IN STATULIBERO diciTUR QUI INTERIM EST HERE
DUM [c]) [5]) [6]) exiSTENTE AUTEM [7]) CONDICIONE AD LIBER
tatem PERVENIAT [8])

L. 13 Papinianus [9]) liBRO SEPTIMO QUAESTIONUM ALIE
natIONES enim post JUDICIUM ACCEPTUM IN
TERDICTAE SUNT DUNTAXAT VOLUNTARIAE NON
quae vetustIOREM CAUSAM ET ORIGINEM JU
ris habeNT NECESSARIAM

L. 14 VLPIANUS LIBRO NONO DECIMO AD EDICTUM SED ET [10])
si usucapio FUERIT COEPTA AB EO QUI HERES NON
eRAT ANTE LITEM CONTESTATAM ET POSTEA IM
pleTA FUERIT REM DE JUDICIO SUBDUCIT USUS
fRUCTUS [11]) AN IN [12]) JUDICIUM DEDUCATUR QUAERITUR
utpUTA SI DEDUCTO USUFRUCTU FUNDUS FUIT [d])
ab HEREDIBUS LEGATUS

L. 15 PAULUS LIBRO VICENSIMO Tertio AD EDICTUM
VEL SI SERVO HEREDITARIO USUSFRUCTUS [13]) LEGA
TUS SIT NEC ENIM A PERSONIS DISCEDERE SINE
INTERITU SUI POTEST

L. 16 xvi VLPIANUS LIBRO NONO DECIMO AD EDICTUM ET
PUTO OFFICIO JUDICIS CONTINERI UT SI VOLENT [14])
HEREDES A COMMUNIONE USUSFRUCTUS [15]) DIS

Lectio Florentina.	*Lectio Vulgata.*	*Lectiones singulares.*
*) „*adjudicari*"	a) „*adjudicari*" *Jn omnibus editt. ant. et H.* b) „*hereditatis*" *Jn. T. F. B. Fr. Hug.*	1) „*condictione*" *Hug.*
		2) „*extimetur*" *T.*
	c) „*hereditatis*" *Jn. F. B. Fr. Hug.*	3) „*quibus*" „*a*" *deest. Jn. H.* 4) „*etiam*" *Jn. H. Hug.* 5) „*heredis*" *T.* 6) *H. et Hug. inserunt* „*donec*" *unde* 7) „*autem*" *deest. H. Hug. Sed deest quoque apud Jn.* 8) „*pervenitur*" *T.* „*pervenit*" *Fr.* 9) „*Paulus*" *T.* „*Idem*" *F. B. Cum lex antecedens Ulpianum habeat auctorem, hoc vocabulo „Idem" Ulpianus significatus esse videtur.*
	d) „*fuerit*" *T. F. B. Fr.*	10) „*et*" *deest. Fr.* 11) „*usufructus*" *T. F. B.* 12) „*in hoc judicium*" *H.*
		13) „*usufructus*" *T. F. B.*
		14) „*volunt*" *T.* 15) „*usufructus*" *T. F. B.*

Lectio Florentina.	*Lectio Vulgata.*	*Lectiones singulares.*
	a) „intercessit“ T. F. B. Fr.	
**) „is“*	*b) „is“ in omnibus editt. antiq. et H.*	
	c) „praecipere“ in margine editt. Hug. d) „bonae fidei“ in omnibus editt. antiq. et H.	
	e) „eo quod fecisses“ Jn. T. F. B. Fr. Hug. in margine.	
	f) „communis servus meus et tuus“ Jn. F. B. Fr.	
	g) „milia“ deest in omnibus editt. antiq. et H.	1) *„debebit“ H.*
	h) „adquisierit“ Jn. T. F. B. Fr. H. Hug.	
***) „quidem“ Similimodo editio Jn. habet „quidem“, vulgata lectio autem videtur esse „quid“ uti in fragm. Neapol.*	*i) „Varus“ deest. Jn. T. F. B. Fr.*	2) *„Alpenus“ T.*
	l) „quaerebatur an alter“ Jn. T. F. B. Fr. Hug.	3) *„si quicquam“ T.*

L. 23 Comm. Dividundo.
QUAE ENIM LOCATIO EST CUM MERCES NON
INTERCESSERIT a) AUT CERTE ACTIONEM INCERTI
CIVILEM REDDENDAM
L. 24 xxIIII JULIANUS LIBRO OCTAVO DIGESTORUM COMMU
NIS SERVUS SI EX RE ALTERIUS DOMINORUM
ADQUISIERIT NIHILOMINUS COMMUNE ID ERIT
SED HIS*) b) EX CUJUS RE ADQUISITUM FUERIT COM
MUNI DIVIDUNDO JUDICIO EAM SUMMAM PER
CIPERE c) POTEST QUIA FIDEI BONAE d) CONVENIT
UT UNUSQUISQUE PRAECIPUUM HABEAT QUOD
EX RE EJUS SERVUS ADQUISIERIT
CUM AGERE TECUM COMMUNI DIVIDUNDO VELLEM
PARTEM TUAM TITIO TRADIDISTI MUTANDI JU
DICII CAUSA TENERIS MIHI PRAETORIA actIONE e)
QUOD FECISSES NE TECUM COMMUNI DIVIDUN
DO AGERETUR
L. 25 xxv JDEM LIBRO DUODECIMO DIGESTORUM SI STICHUS
COMMUNIS MEUS ET TUUS SERVUS f) HABUERIT
PAMPHILUM VICARIUM AUREORUM DECEM ET
MECUM ACTUM DE PECULIO FUERIT CONDEMna
TUSQUE DECEM PRAESTITERO QUAMVIS POSTEA
PAMPHILUS DECESSERIT NIHILOMINUS ACTIO
NE COMMUNI DIVIDUNDO VEL PRO SOCIO QUINQ.
MILIA g) PRAESTARE DEBEBIS 1) QUIA TE HOC AERE ALIE
NO LIBERAVI LONGE MAGIS CONSEQUAR SI STI
CHUS POST MORTEM PAMPHILI ALIUM VICARI
UM ADQUISIERAT h)
L. 26 xxvi ALFENUS 2) VARUS i) LIBRO SECUNDO DIGESTORUM
COMMUNIS SERVUS CUM APUD ALTERUM ESSET
CRUS FREGIT IN OPERE QUAEREBATUR l) ALTER DO
MINUS QUID CUM EO PENES QUEM FUISSET AGE
RET RESPONDI SI QUID**) 3) CULPA ILLius MAGIS QUAM

caSU RES COMMUNIS DAMNI[1]) CEPISSET[2]) PER
ARBITRUM[3]) COMMUNI DIVIDUNDO[4]) POSSE RE
cipErare[5])
L. 27 PAULus LIBRO teRTIO EPITOMARUM ALFENI DI
gestoRUM DE COMMUNI SERVO UNus ex so
ciis quaesTIONEM HABERE NISI COMmunis nego
tii CAUSA JURE NON POTEST
L. 28 PAPINIANUS LIBRO SEPTIMO QUAestionum sabi
nus [a]) in re coMMUNi[6]) NEMINem dominorum jure
facere quicquam invito altero possE unD(?)e
manifestum est prohibenD(?)i jus esse
in re enim pari potiorem cau
sam ESSE(?) prohIbENTis constat sEd ETsi
in communI prOhiberi socius a socio
ne quid faciat potest ut tamen factum
opus tollat cogi non potest si cum pro
hibere poterat HOC(?) praetermisit et ideo
per coMM(?)uni diviDUN(?)do actionem damnum sarciri
pOTERIT(?) sin autem facienti consensit nec pro damno
habet actIONEM(?) quod si quis absente
socio ad laesionem ejuS FECIT tunc
etiam tOLlere cogitur
L. 29 PaULuS libro SECUNDO quaestIONUM si quis
cuM ExIStiMavERIt [b]) [7]) funDUm communem sibi
cum maeviO ESse quem cum titio communem
habebat impendisset recte dicitur etiam commu
ni dividundo judicium ei sufficere hoc enim est
si sciam rem communem esse ignorem autem cu
jus socii neque enim negotia socii gero sed propriam
rem tueor et magis ex re in quam impenditur
quam ex persona Socii actIO NASCITUR(?) deniquE
ea actione pupillum teneri dicimus

Lectio Florentina.	*Lectio Vulgata.*	*Lectiones singulares.*
		1) „*damnum*" *Jn.* 2) „*coepisset*" *H. quod haud dubie erratum typographicum est.* 3) „*arbitrium*" *H. Hug. in margine.* 4) *Editt. T. inserunt:* „*judicio*"
	a) *Vulg. inserit* „*ait*"	5) „*recuperari*" *H. Hug. in margine.* 6) *H. inserit* „*ait*" *post vocem* „*communi*"
	b) *Vulgata lectio videtur esse* „*existimaret*" *quod per errorem aut potius compendii causa in* „*extimaret*" *et* „*estimaret*" *mutatum est.*	7) „*extimaret*" *Jn.* „*estimaret*" *F. B. Fr.* „*existimaret*" *H. Hug.*

Lectio Florentina.	*Lectio Vulgata.*	*Lectiones singulares.*
	a) „*dolo malo*" *Jn. T. F. B. Fr.*	
		1) „*est*" *pro* „*sit*" *F. B. Fr.*
*) *Spatium hujus lacunae aliam quandam vocem praeter eas, quae in Pandect. Florent. leguntur, desiderare videtur, unde dubitari nequit, quin numerus aliquis hujus libri ad Edictum Praetoris urbani in fragm. Neapol. indicatus fuerit.*	*b*) „*Paulus*" *pro* „*Gajus*" *Jn. T. F. B.*	

L. 12 §. 5. Ad Exhibendum

X

QUAERERE an heredi et in heredem danda
SIt PLANE EX DOLO a) DEFuncti danda est in here
DEM HAEC ACTIO SI LOCupletior hereditas
EO NOMINE facta SIT VELuti quod pretium
REI CONSECUTUS SIT¹)

L. 13 XIII GAJUS b) libro ad edictum praeto
ris*) URBANI titulo de liberali causa si li
ber homo detineri ab aliquo dicatur in
terDictuM adversus eum qui detinere
diciTUR de eXHibendo eo potest quis habere
nam ad exhibendum actio in eam rem inutilis
videtur quia HAEC(?) actio Ei creditur compete
RE cujus peculiariter interest

L. 14 pOMPonius libro decimo quarto ad sabinum
si vir nummos ab uxore sibi donatos sciens suos
factos non esse pro re empta dederit dolo ma
lo fecit quo minus possideat et ideo
ad eXHIbendum actIONE tenetur

L. 15 XV JDEM libro decimo octavo ad sabinum
thesaurus meus in tuo fundo est nec eum
pateriS ME effodere cum eum loco non
moveris furti quidem aut ad exhibendum eo
nomine agere recte non posse me labeo
ait quia neque possideres EUm neque dolo feceris
quo minus possideres utpote cum fieri possit
ut nescias eum thESAURSUm in tuo fun
do esse non esse autE(?)m iniquum juranti
mihi non calumniae causa id postulare
vel interdictum Vel judicium ita dari
ut si per me non stetit quo Minus damni
infecti tibi operis nomine caveatur ne
vim facias mihi quo minus eum thesaurum

effodiam tollam exPORTEM QUOD SI ETIAM
furtivus iste thESAURUS EST ETIAM [a]) FUR
ti agi potest
L. 16 paulus libro dECIMO AD SABINUM CUM
servus tenet aliquiD [1]) DOMINUS AD EXHIBEN
dum suo nomine teNETUR SI [2]) AUTEM SERVUS
citra scientiam doMINI DOLO [3]) FECIT QUO MI
nus habeat vel furtI ACTIO [4]) VEL*) [b]) DOLO MALO [5]) NOXA
lis servi nomine dANDA EST AD EXHIBEN
dum autem utilis nULLA CONSTITUENDA EST
L. 17 ulpianus libro nono DE OMNIBUS TRIBUNALIB.
si quis hominem dEBILITATUM EXHIBEAT VEL
eluscatum ad exhiBENDUM [c]) QUIDEM [6]) ABSOLVI
debet exhibuit eniM ET NIHIL IMPEDIT DIREC
tam actionem talis exhiBITIO POTERIT TA
men [d]) agere actor ex lege AQUILIA DE HOC DAMNO
L. 18 idem libro sexto opiNIONUM SOLUTIONE CHI
rographo iNANI FACTO ET [7]) PIGNORIBUS LIBERA
tis nihilominus creditor ut iNSTRUMENTA AD EUM
contraCTUM PERTINENTIA [8]) AB ALIO QUAM [e]) DE
bitore eXHIBEANTUR AGERE POTEST
L. 19 paulus liBRO QUARTO EPITOMARUM ALFENI [9]) AD
exhibeNDUM POSSUNT AGERE OMNES QUORŪ
interesT sed quidam coNSULUIT AN POSSIT
efficere haec acTIO [10]) ut rATIONES ADVERSARII
sibi exhiBERENTUR QUAS EXHIBERI [f]) MAG
ni ejus interESSET RESPONDIT [g]) NON OPOR
tere jus civiLE CALUMNIARI NEC**) [h]) verba [i]) CAP
tari [11]) sed qua MENTE QUID [l]) DICERETUR ANIM
adverteRE CONVENIRE [12]) NAM ILLA RATIO
ne etiam STUDIOSUM ALICUJus doCTRINAE
posse dICERE SUA INTERESSE ILLOS AUT ILLOS [m]) [13])

Lectio Florent.	Lectio Vulgata.	Lectiones singulares.
	a) „et" „ Jn. T. F. Fr. Hug.	
		1) „aliquid tenet" H. Hug.
		2) „Sin" Jn. T.
		3) „dolo malo" T.
*) *„vel de dolo malo" pro „vel dolo malo"*	*b) „vel de dolo malo" uti in Pand. Florent. T. F. Fr. H. Hug.*	*4) „actione" H.* quod *edit. Hug. in margine indicat.*
		5) „doli mali" pro „de dolo malo" vel „dolo malo" Jn. B. quae quidem editt. in ceteris lectionibus singularibus non inter se convenire solent.
	c) „ad exhibendum actione quidem" Jn. T. F. B. H.	*6) „ad exhibendum quidem actione" Fr. Hug.*
	d) „autem" Jn. T. F. B. Fr.	
		7) Hug. inserit „in"
	e) „quam a debitore" Jn. T. F. B. Fr. Hug.	*8) „tam ab alio" Fr. H. Hug.*
		9) H. inserit „Digestorum."
	f) „exhiberi sibi" Jn. T. F. B. Fr. Hug.	*10) „efficere creditor ut" Jn. „efficere ut" T. „efficere hoc dicto ut" H. „efficere hoc edicto ut" Hug. in textu „efficere haec editio ut" Hug. in margine. Conspicuum est, in hoc loco vulgatam lectionem non exstare. Editt. F. B. Fr. habent: „efficere haec actio ut" uti Pand. Flor. et Fragm. Neapol.*
	g) „Respondi" Jn. T. F. B. Fr. Hug.	
**) *„neque" pro „nec"*	*h) „neque" uti in Pand. Florent.*	
	i) „ejus" inserunt Jn. T. F. B. H. Hug. et editio Fr. anni 1529.	*11) „Captare" H. Hug.*
	l) „id" Jn. T. F. B. Fr.	*12) „conveniri" T. „convenire" deest H. Hug.*
	m) „illos libros" „aut illos" deest. Jn. T. F. B. — Editt. Fr. et H. exhibent eandem lectionem „illos aut illos," quae in Pand. Florent. et Fragm. Neap. exstat.	*13) H. et Hug. indicant in margine: „illos aut alios"*

Specimen scripturae antiquae.

LIB. ·X·

LIB. ·X·


GAIUS LIBRO SEPTI

XXIIII IULIANUS IIII ULPIANUS

CONSENSU ob ob

XXVI A a x p ∞ F

Specimen scripturæ recentioris.



THESES.

I. Hierarchia sedis Romanae per aliquot saecula hoc quoque efficere voluit, ut jus canonicum prae jure civili auctoritatem adipisceretur.

II. Pseudoisidorus ad augendam et amplificandam potestatem papalem non tanti momenti fuisse videtur, quanti eum fuisse multi existimaverunt.

III. Decretales Pseudoisidorianae non ab uno, sed a pluribus compositae esse videntur.

IV. Ratio haud exstat, quare collectio illa, quae nomine: Capitula Angilramni diu designata est, ita appelletur.

V. In jure feudali alia successio statui nequit, nisi quam linealem gradualem dicunt.

VI. Milites servientes eodem tempore, quo milites liberi, jus in beneficia succedendi, adquisiverunt.

VII. Communio bonorum conjugalis juris Germanici ex mundio maritali orta est.

VIII. Demonstrari nequit, omnem tutelam juris Germanici temporibus antiquis tutelam fructuariam fuisse.